
33

EPISTOLA
PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

PAPIENSEM.



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI SALVIUCCI

1823

Praesidum Facultate.

ALOYSIUS TOSI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

SANCTÆ PAPIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS

VENERABILIBUS IN CHRISTO FRATRIBUS ET DILECTISSIMIS FILIIS, ORDINI CANONICORUM, PAROCHIS, CLERO ET UNIVERSO POPULO CIVITATIS ET DIOECESIS SUÆ

Gratia Domini Nostri Jesu Christi, et Charitas Dei, et Communicatio S. Spiritus *sit cum omnibus vobis.*

Quod summo cordis vestri desiderio anxie exoptastis, quod a misericordiarum Patre sollicitis precibus deprecati estis, ut viduata Papiensis Ecclesia Episcopo donaretur, hodie Vobis divino munere contigit. Me jamdiu divina motus Providentia Augustus Dominus Noster Imperator FRANCISCVS I Episcopum designaverat; hinc Divina inspirante gratia SS. Pater PIUS VII. Pontifex Maximus auctoritate sua instituerat; atque hac ipsa sanctissima die, quà Divini Sacerdotii Institutor et idem Sacerdos aeternus ac Pontifex Jesus Christus tanta supernorum donorum effusione Ecclesiam suo Sanguine fundatam ditavit, me ad Episcopatus Dignitatem Sacra Ordinatione evexit, ut Vobis ejus Minister, et suarum sim Dispensator gratiarum.

Sed qui Vobis gratulor quod ad Religionem conservandam atque amplificandam a Deo Vobis Episcopus oblatus sit, numquid et mihi gratulari possum, quod ad altitudinem Episcopalium officiorum accommodata, et ad res Ecclesiae, si non magnas, saltem bene gerendas sit mihi divinitus adjuncta potestas? Numquid licet missum a Domino, me eum esse cognoscitis, quem D. Paulus vult Episcopum, *irreprehensibilem, prudentem, ornatum, doctorem, modestum, non cupidum, bene præpositum, testimonium bonum habens* (1)?

Fratres et Filii carissimi, qui Pastorem et Patrem efflagitantes pro me jamdiu antea precati estis, iterum enixius precamini, ut quibus rogantibus datus sum Vobis Episcopus, eorundem votis adjuvantibus, divino auxilio renovatus, susceptum officium cum Vestra & omnium salute tueri valeam. Candide enim fateor, inopino tantæ dignitatis munere perpenso, me primum toto animo concidisse, diuque quadam moeroris caligine obvolutum trepidantem hæsisse; et certe nunquam ad tantum onus suscipiendum, nisi faven-

(1) I. Ad. Timot. III.

tibus comprobantibus viris dignitate et virtute praeclarissimis, in Deo, in quo *tota est spes mea magna valde*, unice quievissem, ejus voluntatem in perspecta Imperatoris Nostri clementia, et PII VII. Pontificis Maximi auctoritate recognoscens. Non itaque vel minimum viribus confisus meis, sed cum Augustino confisus, quod me Deus ad Episcopatum *non damnando sed miserando* perduxerit, ipsius jussibus me subdidi, et eorum voluntati, qui me praeesse *largitate* magis *gratiæ* quam *judicii æstimatione* voluerunt.

Timores igitur ancipitesque sollicitudines omnes, quæ me a Vobis adhuc arcere connituntur, in cordis mei penitioribus latebris conquiescant; lætitiæque solum sacra sit dies, in qua primum Vos alloqui, Vos toto corde complecti, meque Vobis semper devotum testari datum: quippe hanc ego solemnem Consecrationis meæ diem votis festinavi; in hac enim manu Domini ingens nobis charitatis mutuum vinculum injectum est, quo nunquam novi antea arctius atque jucundius.

Scio Episcopum talem esse debere virum, ut nulla res tanta sit vel difficilis, quam ille non et consilio regere, et integritate tueri, et fortitu-

dine conficere possit. Sed si [illegible] nec tanti honoris splendorem, nec tantæ dignita[illegible]tis magnitudinem sustinere valeo, qui *primus in*[illegible]ter Vos sum, Ve*ster servus ero* (1), et in me[illegible]lio Vestrum sicut *qui ministrat*, Christi et Sum[illegible]mi ejus in terris Vicarii exemplo, qui *Servus* [illegible] *Servorum Dei* vult vocari: ita ut omnis mea act[illegible]o, ratio, cogitatio, totus denique Episcopatus s[illegible] constans et perpetua servitus ad salutis Vestr[illegible] defensionem.

Infirmae sunt equide[illegible] vires meae, tantoque prorsus impares Minist[illegible]o; sed illa me D. Pauli sententia recreat: *Nequ*[illegible] *qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, [illegible] *qui incrementum dat Deus*. Si igitur *Dei* [illegible]*ricultura estis*, *Dei ædificatio estis*, si *Dei a*[illegible]*ator sum* (2), cur desperem eum, qui me ele[illegible], benignitate et misericordia sua defuturum? [illegible] Nunquam enim defuit Deus a S. Syro usque ad [illegible]ovissimum tot Papiensis antiquitate ac dignitate [illegible] adeo insignis Ecclesiæ Pastoribus, qui cum omni [illegible] vitæ tempore in ea colenda cunctis adjumento esse studuerunt, tum anteactæ vitæ merita eximio perpetuoque libe-

(1) Matth. XX. 27.
(2) I. Ad Cor. III.

ralitatis monumento cumularunt. Et si illis pulcherrimum fuit tantam gloriam relinquere, si mihi turpissimum illud quod ab eis accepi tueri non posse, toto animo diligentia et labore contendam, ut si Prædecessorum meorum in virtutibus præstantiam non consequar, iis bona saltem voluntate accedam, Jesu Christi, *in quo omnia possum*, juvante gratia.

Quæ cum ita sint, ægre licet me divelli sentiam ab insigni Divi Ambrosii Basilica, ægre a sinu vestro, Præposite, Canonici, Curiani omnes, quorum memoria dulcissima semper mihi erit, Vos tamen toto corde salutans, ea quidem *quæ retro sunt obliviscens*, *ad ea quæ priora sunt extendens me ipsum*, ad destinatum persequor (1); jam jamque mihi ante oculos obversatur Ecclesiæ Papiensis amplitudo, quæ me ad se rapit, et hæc minora relinquere jubet. Ad Vos itaque quam cito potero convolabo, Fratres et Filii carissimi, non meæ oblitus infirmitatis, sed omnium Vestrum innixus orationibus et auxilio tantum onus suscepturus.

(1) Ad Philip. III. 13, 14.

....

Et Vos primum Ecclesiæ Cathedralis Canonici, Vos qui non solum Ornamenta dignitatis, sed adjumenta salutis esse debetis, Orate spiritu, orate et mente: sine intermissione orate, per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore, vigilantes in omni instantia. Implemini Spiritu Sancto loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino (1). » Vos
» circa me vitæ meæ et custodes simul desi-
» dero et testes, quorum me fides et sancti-
» tas ad quæque sancta ad quæque honesta
» provocet » (2).

Vos quoque laborum [illegible] in Ministerio consortes, Ecclesiarum omnium Rectores, Adjutoresque, audite, obsecro, verba quibus Petrum allocutus est, et me Vos alloquitur Divinus Pastor Christus: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (3). » Pascas verbo, pascas exem-
» plo, pascas et sanctarum fructu orationum:

(1) 1. Ad Cor. Ad Thessal. Ad Ephes.
(2) S. Bern. De Consid. Lib. IV. 5.
(3) Joan. XXI.

» Oves meas sicut meas pasce, non sicut tuas: » gloriam meam in eis quære, non tuam: lu- » cra mea, non tua » (1). Si vere Divinum Pastorem diligitis, hæc sit probatio vestræ dilectionis, ad quam vos incendit Augustinus Divino amore ipse incensissimus: » Rapite omnes » ad amorem Dei; rapite quot potestis, hor- » tando, portando, rogando, disputando, ra- » tionem reddendo cum mansuetudine, cum le- » nitate » (2).

Quotquot autem cum Christo Sacerdotii participes estis, *Estote imitatores Dei sicut filii carissimi: digne Evangelio Christi conservamini, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei. Exemplum estote Fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, sine reprehensione ulla, sicut luminaria in mundo* (3).

Ad Vos nunc sermonem meum converto, qui Seminarium splendido regendi, docendi mu-

(1) S. Aug. Tract. CXXIII. in Joan.
(2) In Psal. XXXIV.
(3) Ad Ephes. V. Ad Philipp. I. Ad Coloss. III.

nere honestatis, eoque libentius quo nobilius sanctiusque officium Vobis est demandatum. Est enim Religio, cujus Vos futuros custodes et defensores informandos suscepistis, una excellentissima virtus, omnium domina et regina virtutum, suum cuique tribuens, et societatem conjunctionis humanae mirifice et aeque tuens, sine cujus imperio nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare potest. *Vae Prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum: vae Sacerdotibus qui inter sanctum et profanum non habent distantiam, et inter pollutum et mundum non intelligunt. State super vias, et interrogate et videte de semitis antiquis quæ sit via bona, et ambulate in ea* (1). *Enutriti verbis fidei et bonæ doctrinæ* (2) ea vero tenete » quæ nec ab » electorum operibus, nec a Sanctæ Scriptu- » ræ auctoritate discordant » (3). Hisce, obsecro, regantur præceptis qui Vestra reguntur disciplina, et doctrina imbuuntur. Hisce et Vos

(1) Ezech. XIII, XXII, VI.
(2) I. Ad Tim. IV. 6.
(3) S. Gregorius M.

bono et simplici animo obedite, Seminarienses Clerici, et Moderatorum Præceptorumque amori, Religionisque dignitati, in cujus spem succrescitis, vere respondebitis.

Regii Cæsarei Archigymnasii Doctores omni laude præstantissimi, et Vos appello: uti enim ingenii et eruditionis vestræ famam suspicio, ita non modo Insubriæ universæ, sed et Ecclesiæ meæ multa per Vos scientiarum et virtutum ornamenta accessura confido. Iuvenes enim tam Ecclesiasticæ disciplinæ, quam ceteris artibus et scientiis addictos eadem charitate complector; ideoque quos Vobis patria, Vobis patriæ Parens Cæsar Augustus vult commendatissimos, et ego omni instantia commendo. Enitendum Vobis est perficiendumque tum vestris præceptis, tum maxime exemplo, ut ab omni exitiosæ depravationis nefaria errorumque labe tueamini Adolescentum animos, eorumque omnium simul ad suas et patriæ necessitates institutio, et sincera atque perpetua erga Deum et erga Regem fides cumulatis virtutibus constet, ac firmiter succrescat.

Optimi mihique carissimi Adolescentes,

quotquot studiis in hoc Archygymnasio operam impenditis, etsi vestrum pler[illegible]que ad tempus dumtaxat in gregem meum [illegible] Cooptati, paterna tamen cura, immo quo brevior vestra apud nos mora est, ardentiori charitate mihi devincti, tamquam filiolos desideratissimos Vos hortor atque obsecro, per Vos [illegible] ipsos, per parentes vestrum amantissimos h[illegible]rtor, quorum vobis sanctissima esse debet auctoritas, ut illud a primoribus annis curriculum ineatis, quod perficere Vobis sit constans felicitas. Ita hæc Ecclesia, quæ vos nunc quasi parvulos nutrix alit uberrima, Ecclesiis, quarum in sinu orti estis, restituet exhibebitque homines perfectos in Christo Jesu. *Amate scientiam*, quæ donum Dei est sancto mentis vestræ exercitio sincerisque contemplationibus datum: hæc enim animos a sensuum cupiditatibus abreptos ad cœlestia allicit, erigit, Deumque ipsum qui omnia in sapientia fecit admiranti rationi licet impervium demonstrat. *Amate scientiam, sed anteponite charitatem*: hisce Vos verbis docet et impellit Vir ille ad miraculum doctissimus, cujus sacris exuviis tamquam opulentissimo the-

sauro Urbem istam ditasse ex consilio videtur Divina Providentia, ut tantæ doctrinæ et sanctitatis proposito exemplo ad utramque assequendam excitaremini ejusdem patrocinio adjuti.

Vos denique Civitatis amplissimæ totiusque Diœcesis Christifideles, omnes mihi pari dilectione conjunctissimos, cum Paulo deprecor: *Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum* (1). Ego autem sine intermissione Dominum exorabo, *ut abundare faciat charitatem vestram in invicem, et in omnes, quemadmodum et nos in vobis* (2). Benignitatis charitatisque Vestræ primum et præcipuum mihi sit testimonium, infirmitatibus meis compati, exhortationibus meis per

(1) Ad Philip. II.
(2) I. Ad Thes. III. 12.

opera bona docili voluntate amantique animo occurrere, exemplo prælucere, largitate egentibus subvenire; unde quod Paulus Thessalonicensibus et ego Vobis dicam: *De charitate fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invicem. Etenim illud facitis in omnes fratres: rogamus autem vos, ut abundetis magis.*

Cum autem *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit descendens a Patre luminum*, orantes [illegible] ecum permanete in oratione. Orate pro me, [illegible] Vobis, pro iis præcipue quibus subditi estis [illegible] bedientiæ, reverentiæ, amoris vinculo obstri[illegible]: pro Pontifiee Maximo PIO VII. in universo Orbe Catholico Christi Vicario, qui a Romana Ecclesia, *apud quam Apostolicæ Cathedræ semper viguit Principatus*, in alias Ecclesias fortitudinis exempla præclarissima, et veritatis firmissima diffundit testimonia: pro Augusto Domino Nostro Imperatore FRANCISCO I, cujus æquabilitate decernendi, lenitate audiendi patrocinium verius quam imperium dici potest: pro Archiduce Pro-rege Nostro RAINERIO cogitatione cura vigiliis omnibus

nihil nisi de nostra utilitate sollicito, & pro optima ejus Conjuge eidem non minus arcto amoris quam virtutum omnium nexu conjuncta: pro Magistratibus omnibus, ut sapientia, integritate, religione, conjunctione et conspiratione quadam virtutum fidelissimi ad comparandam, fortissimi ad perficiendam tum publicam tum privatam felicitatem cum Augusto Imperatore Rege Nostro una mente unis viribus consentiant.

Quod si a portu solventibus ipsa natura affert, ut ii qui in portum jam ex alto invecti sunt ad pericula praecavenda faveant, mihi salutis meae pro Civium salute in discrimen adducto faveant hujusce Civitatis, Ecclesiæ, totius Diœcesis Patroni et Parentes sanctissimi faveant, et potenti apud Deum prece me adjuvent, Magna Mater Virgo MARIA, Sancti SYRUS, Inventius, Epiphanius, Ennodius, Theodorus, Alexander, necnon dux meus et pater AUGUSTINUS, ad animam meam et animas vestras *in viam salutis* deducendas.

Tanta spe fultus, Epistolæ meæ finem ponere audeo cum Apostoli verbis: *Ita desiderantes Vos cupide volumus tradere Vobis, non solum*

Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis (1).

Dum autem paternam Vobis benedictionem impertior, *ipse Deus pacis sanctificet vos per omnia; ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini Nostri Jesu Christi servetur* (2). Amen

Dabam Romæ extra Portam Flaminiam ipsa die Consecrationis meæ XVIII. Maii Anni MDCCCXXII.

(1) I. Ad Cor. I. 23.
(2) I. Ad Thes. V.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Mag. Sacri Palatii Apostolici.

J. Della Porta Archiepiscopus Damascenus Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Philippus Anfossi S. P. A. Mag.